Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Cap. I. De ipsorum Curiis Forensibus, praesertim de Consistorio Ecclesiastico.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER V.

DE CONSISTORIIS SEU CONSESSIBUS.

CAP. I.

De ipsorum Curiis Forensibus, præsertim de Consistorio Ecclesiastico.

I. DIversæ in Israële *Curiæ* fuerunt diversis consistentes viris, quarum quædam *res Ecclesiasticas*, & quædam *res Civiles & Publicas* dirigebant. *Junius Anal. expos. Deut.* XVII. De his, ipsarumque censuris peculiaribus & pœnis, restat quid dicendum.

II. Hæc diversa *consistoria, consessus & curiæ*, primò distincta reperiuntur *Deut.* XVII. 12. *Qui non auscultat Sacerdoti, aut Judici.* Ubi Israël docetur, ob

ob quas res & ad quos possent à minoribus *judiciis* & *curiis* appellare; nempe ad *Sacerdotes* in rebus *Ecclesiasticis* aut *ceremonialibus*, & ad *Judices* in rebus *criminalibus* aut *civilibus*.

III. Hæc duo *dicasteria* (1) clariùs distinguun-

(1) Autor hoc capite distinguit *judicia* in *Ecclesiasticum* & *Politicum*, & ab hoc, sive τῷ *Sanhedrin*, Sacerdotes & Levitas separat; verùm dubito, num satis benè. Quot enim Pontifices fuerunt נשיאים *Principes* in Synedrio? *Seldenus* etiam *de Synedr. Hebr. c.* 8. *sect.* 2. probat *Synedrium* tàm *Politicis*, quàm *Ecclesiasticis*, ut ita loquar, personis, seu Levitis aut Sacerdotibus, constitisse. Imò maxima pars *Synedrii* fuerunt Sacerdotes & Levitæ. Vid. *Lightfoot. in Matth.* XXVI. 3. Nec est, quòd Autor dicat, *Collegium Sacerdotum* vocatum esse *Synagogam magnam*, & *Collegium Politicum*, *Synedrium*; non enim fido huic distinctioni, quippe *Hillel* fuit *Rector Synagogæ magnæ*, & quoque fuit נשיא. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 1. *not.* 3. Sic *Synedrium* pro *Presbyterio* & *Sacerdotibus* sumit *Momma tom.* 2. *cap.* 6. §. 51. & Cl. *Wittich.* hoc adstruit *Theol. pacif. c.* 18. §. 287. Locus ille 2. *Chron.* XIX. nihil suffragatur distinctioni Autoris, etsi distinguantur negotia Jehovæ & Regis, uti nec locus *Jer.* XXVI. quem Autor subjungit. Ad quos facilè responderi potest. Et, si locus *Deut.* XVII. 7-12. benè inspiciatur, evanescet omnis distinctio. Nam *Sacerdotibus* æquè jus fuit decernendi de capitalibus, quàm de ritualibus; æquè ac *Senioribus* Israël; imò ipsi *Sacerdotes* fuerunt ὁι זקני ישראל πρεσβύτεροι, unde in N. T. *personæ Ecclesiasticæ* vocantur πρεσβύτεροι, à qua voce πρεσβύτερος sine dubio Germani Priester derivârunt. Et ut unum hoc addam ad infringendam illam distinctionem; nonne Moses de tribu Levi æquè viros in numerum ∓ LXX. cooptavit, ac de reliquis? utique. Illi *Seniores*, *Judices* scil. *Sacer-*

tur 2. *Chron.* XIX. ubi Josaphat multos abusus in Ecclesia & Republica tollens, primò per omnes civitates munitas Jehudæ *Judices civiles* constituit ad judicandum res criminales, vers. 5. Et Hierosolymæ ordinavit *consessum Ecclesiasticum* è Levitis, Sacerdotibus, & primoribus patrum Israëlis, vs. 8. *In negotiis Jehovæ seu Ecclesiasticis* Amaria *Pontifex* primarius erat. In *rebus* autem *Regis* seu *civilibus* Zebadia נגיד *Præsul*, vers. 11. Sic etiam Propheta Jeremias neci addicebatur à *consessu Sacerdotum*. *Jer.* XXVI. 8. Sed in *judicio Principum*, seu *Judicum civilium*, qui considebant sub portis, absolutus est, vers. 6.

IV. Et licet tyrannis Antiochi, & subsequentes motus tantâ confusione turbârint regimina Judæorum, ut vix discrimen ullum in N. T. reperiri possit, attamen vestigia quædam & imperfecta signa utriusque hujus *judicii* apparent *Matth.* XXI. 23. XXVI. 3. Ἀρχιερεῖς *Sacerdotes primarii* & πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ *Seniores populi* adducuntur, tanquam

Sacerdotes, & *Levitæ*, communi nomine in V. T. vocantur Dii, θεοὶ λεγόμενοι *Dii appellativi*, quibus Deus populum suum subjecit, ut suo quasi loco imperium in Israëlitas exercerent, & ad dogmata observanda sub metu etiam mortis compellerent, *Psalm.* LXXXII. 1. 6. 1. *Cor.* VIII. 5. In N. T. cùm non sit ampliùs carnalis Lex, ad quam castigationibus cogamur, & aboliti illi magistratus Israëlis θεοὶ λεγόμενοι, sed recognoscamus unum dominum Jesum Christum, non possunt in Nov. Test. *Reges* & *Principes* Dii dici absque injuria, quâ Christus afficeretur, sed *Nutrices Ecclesiæ*.

Landesbibliothek Oldenburg

quam diversi ordinis & consessus, quorum quisque videtur proprio nomine distingui.

V. *Consessus Politicus* vocatur συνέδριον *Collegium Consiliariorum*; *Ecclesiasticus*, συναγωγή *congregatio*. *Tradent vos εἰς συνέδρια, & cædent vos flagris ἐν ταῖς συναγωγαῖς. Matth.* X. 17. Hinc magnum Prophetarum sanctorumque virorum *Collegium*, quod Esra collegit ad reformandam Ecclesiam post adscensionem ex Babele, vocatur *Synagoga magna*. *Officium Collegii Ecclesiastici* fuit, *discernere inter sacrum & profanum, mundum & immundum. Lev.* X. 10. Et *decidere appellationes* in rebus momentosis; hinc illud, (†) *Dic Ecclesiæ*; quum penes eam esset *jus excommunicationis*, de qua seq. cap.

VI. Hîc tantùm nota, quòd, quemadmodum in *Synedrio* & *Collegio politico*, quod constabat LXX. viris, penes quos *summum judicium* erat, fuerunt duo capita: alterum vocabant נשיא (2) *Principem* seu

(†) Autor ex consuetudine Anglicanæ Ecclesiæ nimium Autoritatis videtur velle tributum Ecclesiastico Consistorio, quod *Ecclesiam* hic appellat, juxta morem Romanensium, qui illa verba *Matth.* XVIII. 17. ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, ita contorquent, ac si Christus dixisset, mitte ipsum in crucem, ad leones, in exilium. In quo sensu Anglicani Episcopi Romanenses imitati, quàm plurimos dissentientes in carceres & ad Americanos curarunt mitti. Videatur *Hornii Hist. Eccl.* Cùm Salvator mansuetissimus nil aliud voluerit, quàm ut ejusmodi immorigerum vitemus, nec eo ut fratre familiariter utamur.

(2) Non duo, sed tria fuerunt *Synagogæ* seu *Synedrii* capita. 1. *Princeps*, 2. *Pater Senatûs*, 3. Et ille, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur

Judicem supremum; & alterum vocabant אב בית דין *Patrem dicasterii*; quòd, inquam, etiam in *Synagoga*, seu *Concilio Ecclesiastico*, fuerint duo capita seu primarii, *Pontifex*, ipsiusque (3) סגן *Vicarius* seu *Pontifex secundus*. 2. *Reg.* XXIII. 4. *Pontificem* necessariò membrum fuisse *Synedrii*, falsum est,

dicitur חכם *sapiens*, σοφιστής. Medius in Senatu sedebat *Nasi* seu *Princeps*, qui interpretandæ publicè Legis autoritatem habet. Secundus ad dextram *Principis* sedebat *Vicarius*, qui dicitur אב בית דין *Pater senatûs*, *Judicum antecessor*, cujus ore lites deciduntur. Tertius ad lævam *Principis* erat ὁ חכם *Sapiens*, qui inter Doctores præcellit, cum quo de agendis communicatur, quique est peritus sensuum & rationum Legis. Vid. *Cocc. Sanh. c.* 4. §. 3. & *notam*.

(3) Hic *Sagan* varia habuit nomina. [1] Vocatus etiam est סגן הכוהנים *Antistes Sacerdotum*. [2] משוח שעבר *qui transit*, seu qui non manet, & *ex Sacerdotali Ministerio abit*, scil. postquam vicem polluti Pontificis obiit. *Cocc. Macc. c.* 2. §. 6. Aliter tamen ipse hoc nomen transfert, *Sanh. c.* 2. *not.* 5. [3] כוהן משנה *Sacerdos subalternus*, quòd die expiationis cum Pontifice, si quid vitii illum impurum reddidit, alternaret. [4] סגן ממנה *Præfectus constitutus*. Vid. *Cocc. l. c.* & *Lightfoot. Job.* XVIII. 13. Jam si addimus *Pontifici* & huic *Vicario Sagan* illum, quem dixerunt, משוח מלחמה *Belli causâ unctum*, tum habemus tres quasi *Pontifices*, & sic rationem, cur in *S.* Scriptura dicantur fuisse ἀρχιερεῖς, ut & cur *Anna* & *Caïphas Pontifices* vocentur, cum Lege Divinâ unus debuerit esse

Ponti-

est, quia ad id *Collegium* nunquam electus est, nisi fuerit vir raræ & singularis sapientiæ. *Mos. Kots. in Sanhed.*

VII. Nota quoque, quòd utrumque *Collegium* coïverit, quoties res decidendæ, mixtæ h. e. *ceremoniales* partim, & partim *politicæ* erant, sicque partim ad *Ecclesiam*, partim ad *Rempublicam* spectabant. Quod quùm non observetur, Interpretes discrimen non faciunt inter illa *judicia*. Hæc utriusque *Consistorii* seu *Collegii* coïtio & conjunctio hinc inde in Euangelio occurrit, ubi dicuntur ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι congregati fuisse.

CAP. II.

De ipsorum Excommunicatione.

I. TRes (1) erant *excommunicationis* gradus.

II. I. Ἀποσυναγωγή *ejectio ex Synagoga*, *Joh.* IX. 22. à Judæis dicitur נדוי *Niddui*,

Pontifex. Licèt quoque illi verum dicant, qui rationem adducunt corruptos illius temporis mores, quo *Reges* & *Præsides* Judæorum sordidâ sacrâque auri fame sacrum hoc officium pro lubitu contulerint non piissimis, sed pessimis; non doctissimis, sed ditissimis, rursusque abstulerint pro re nata.

(1) Cel. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. *§.* 9. *not.* 5. ait: *Faciunt quidam tertium gradum anathematis* שמתא, *in qua sententia reperio apud Ebræos esse Eliam & Davidem de Pomis. Et sunt fortè plures, ut Gerson ille, qui per* נחש *vetat epistolas ab alieno aperiri. Sed locum, quo id probetur, proferri non video. Maimonides ultra* חרם *non progreditur.*